

stante enutritus, magnóque amore dilectus, & quondam ab eo defensus, dolo Constante interfecto Imperium arripuit, ac post eius nomine & signo illius literas ad eos quos formidabat, scribens, vt ad Imperatorem venirent, incautos in itinere occidi iussit, ne superessent qui motum facerent. Deinde ingenti agmine Italiam petit, & Mediolani diu immoratus, fratrem suum Decentium Cæsarem fecit, misitq; cum exercitu trans alpes ad Gallias tuendas. Ipse cum instructo exercitu ad Murtium contra Constantium profectus est, ac deinde vsus Magæ cōsilio, cum Constantio congressus, victus est, magna strage vtrinque facta. Post commissum prælium fugiens, cum se in Italiam recepisset, apud Ticinum plures incautos fudit, profligatíque exercitus reliquias collegit, & nouo milite suppleuit. Cúmque pacis condiciones per legatos sapius tentasset, tantum ducis titulum petens, nec quicquam impetrasset, dimicationis aleam rursus tentare cupiens, iterum cum Constantio conflictu habito, superatus est, Lugdunúmque aufugit. Vbi sentiens vndique se custodiri, deesseque locum fugæ, furorem simulans, fratri Desiderio vulnera, non tamen letalia intulit, ac quibusdam ex amicis, deinde se ipsum transsosso latere interfecit, Imperii mense **X L I I**. Aetatis anno **X L**.

Argenteum hoc Numisma in facie posteriore habet tale signum **P** à dextra parte literam **A**, à sinistra **D** cum huiusmodi inscriptione: **S A L V S D D. N N. A V G.** ac sub hoc signo literæ hæ scriptæ **L. P. L. C.**

**D E C E N T I V S** à fratre Magnentio Mediolani Cæsar factus, misísque cum exercitu trans Alpes ad tuendas Gallias, audito fratris casu, sibi metuens, laqueo fasciæ ad collum posito, apud Senonas vitam finiuit.

Numus hic argenteus continet ex altera parte statuam Herculis, nudam, pelle Leonis de collo pendente, taurum humeris ferentem, dextra eleuata clauam tenentem, inscriptione tali addita: **V I R T V S A V G G.** Infrà: **P T.**

Iul